



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.  
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris  
Ecclesiastici**

**Fleury, Claude**

**Moguntiae, 1760**

XXIV. De aliis beneficiorum oneribus.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

Chori enim & suggestus reparatio suscipienda ab eo, qui decimis gaudet majoribus; ad cetera, nec non ad habitationem parochi, populus tenetur<sup>1</sup>. In aliis locis decimatores sine partium distinctione tertiam pendunt; in aliis altera pars materiam, altera opifices supeditat: in quo cujusque loci consuetudo attendenda. Est autem episcopi, provinciam obeuntis, reparationes necessarias injungere, ad quas hominem censuris ecclesiasticis compellere potest<sup>2</sup>. Interim in Francia regii præsides pariter his invigilare, & refractarios sequestratione proventuum ad eas adigere possunt<sup>3</sup>, quia rex protector est externæ disciplinæ.

1) Arrêt du Gr. Conf. 27. Nov. 1670.

2) Concil. Trid. sess. 7. c. 8. sess. 21. c. 7.

3) Stat. Aurel. art. 21. Bles. art. 52.



C A P. X X I V.  
DE ALIIS BENEFICIORUM  
ONERIBUS.

I.

**A**LTERUM onus, cui beneficia generatim s. ad decimas. obnoxia, sunt *decimæ* a clero regi pendendæ, de quibus dictum, & his annexum *donum gratuitum*, cum sumtibus, in conventum cleri generalem faciendis. Hæc tria conjunctim & fere ab iisdem exactoribus leguntur, licet ad dona gratuita in diocæsis alii collectores constitui possint<sup>1</sup>.

1) Mem. du Clergé part. 6. § 7.

II. EPISCOPIS in ecclesias diœcesium quatuor vetera jura attributa legimus, *synodaticum*, *visitationem*, *quartam mortuorum* & *auxilium moderatum*<sup>1</sup>. Et *synodaticum* quidem, quod & *cathedraticum* vel *centenarium* audit, inde ab exeunte sæculo VI. obtinuit<sup>2</sup> duobus solidis aureis æstimatum<sup>3</sup>. Est autem annua pensio, in argumentum subjectionis & ob honorem cathedræ solvenda. Olim episcopo visitanti solvebatur; hodie parochi pensionem ipsi ad synodos deferunt: in pluribus tamen diœcesibus prorsus exolevit. *Visitatio* seu procuratio, medio sæculo VII. invalescens<sup>4</sup>, involvit hospitium victumque episcopo visitanti a parocho præbendum. Sed quum episcopi immodico familiarum & equorum grege ecclesias onerarent, concilio Lateranensi an. 1179. statutum est: *ut archiepiscopi, parœcias visitantes, numerum LX. vel L. Episcopi numerum XX. vel XXX. Cardinales XXV. cœctio- num (jumentorum) haud excedant, nec cum canibus venatoris & avibus proficiscantur, sed ita procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, querere videantur, nec sumtuosas epulas quarant, sed cum gratiarum actione recipiant, quod honeste ac competenter illis fuerit ministratum*<sup>5</sup>. Nonnumquam, quod etiam in Francia in pluribus sit diœcesibus, hoc onus pecunia redimitur. Sed Concil. Trid. & id reduxit ad specierum præstationem, restrinxitque ad loca, in quibus consuetudine inolevit, monitis episcopis, ut moderate eo uterentur. Archidiaconi & decani, quibus competit jus visitandi, habent etiam jus procurationem exigendi; sed

Jura episcopo- rum in beneficiis,

1. cathedraticum,

2. procuratio.

comitatus eorum ad duos equos est restrictus <sup>7</sup>.

3. quarta  
mortua-  
riorum.

*Quarta mortuorum* seu legatorum ad pias causas, quæ in Francia exulat, nonnullibi tamen exigitur, nititur veteri partitione, qua episcopus quartam omnium reddituum ecclesiasticorum capiebat. *Moderatum auxilium*, quod episcopi olim a clero extra ordinem, si v. gr. iter ad concilium suscipiendum esset, petere poterant <sup>8</sup>, juris formam induit, appellaturque *subsidium* seu *donum caritativum*: quod raro locum habet. Quod reliquum est, generali iurium episcopalium nomine, & in nonnullis diocesisibus cum decimis, colligitur.

4. auxi-  
lium mo-  
deratum

- 1) THOMASS. p.4. l.4. c.31.
- 2) Concil. Braccar. c.2. an. 572.
- 3) C.16. X. de off. jud. ord.
- 4) Concil. Tolet. VII. c.4. an. 646.
- 5) C.6. X. de censib. 6) Sess.24. Ref. c.3.
- 7) Cap. eod. 8) C.6. §. prohibemus X. de cens.

5. depor-  
tus.

III. SUNT autem alia nonnulla jura pinguiora, quæ toties locum habent, quoties beneficia vacant, scilicet *deportus*, *annate*, & *spolium* <sup>3</sup>. *Deportus* est jus beneficii vel vacantis, vel litigiosi, vel non deserviti, si v. gr. *curatus* non est presbyter, redditus colligendi & suos faciendi; competitque vel episcopo vel prout usus fert, archidiacono, & nonnullibi totum annum, licet vacantia brevior fuerit, complectitur, quod ubi fit, proprie *annata* est. Qui hoc jure fruitur, quod in Normannia & in aliis provinciis Francicis viget, ei curandum, ut servitium beneficio annexum obeatur.

- 1) THOMASS. p.4. l.4. c.32. &c.

IV. PONTIFICEM nonnumquam <sup>6. annu-</sup>  
episcopis vel omnes fructus, vel primum an- <sup>12.</sup>  
num omnium beneficiorum, quæ intra certum  
tempus v. c. intra biennium in diœcesi vaca-  
rent <sup>1</sup>, ad æs ecclesiarum alienum diluendum,  
indulisse legimus <sup>2</sup>. Atque hæ sunt origines  
*annatarum*, quibus Joannes XXII. universam  
ecclesiam obnoxiam reddidit, quasve Bonifacius  
IX. & schisma Avenionense perpetuavit <sup>3</sup>. Ba-  
sileense concilium <sup>4</sup> *annatas* damnavit, ejusque  
decretum insertum est in nostram pragmati-  
cam <sup>5</sup>. Sed substituere tamen, licet ad benefi-  
cia consistorialia reductæ. In aliis regnis ex-  
tenduntur ad omnis generis beneficia, etiam  
minimi proventus. Non tamen verum anni  
proventum, sed æstimationem veteris cancel-  
lariæ Romanæ involvunt, solvendæ ante expe-  
ditionem bullarum, quia difficulter exigi pos-  
sent post possessionem arreptam.

- 1) C. 32. X. de verb. sign. 2) C. 10. de rescript in 6.  
C. 26. de præbend. in 6. Extrav. comm. c. 11.  
3) RAYNALDUS ad an. 1399. n. 12.  
4) Sess. 21. 22. 42. 5) iii. 9.

V. JUS SPOLII ortum est in mona- <sup>7. spo-</sup>  
steriis, ubi priorum & aliorum officialium <sup>lium.</sup>  
claustralium peculia, quæ tolerabantur, ab eo-  
rum obitu revertebantur ad abbatem <sup>1</sup>. Idem  
jus Episcopi sibi arrogarunt in peculiis presby-  
terorum & clericorum <sup>2</sup>, & pontifex in succes-  
sione Episcoporum, quorum ipse solus here-  
dem se jactitat legitimum <sup>3</sup>. Utitur jure illo  
pontifex in Italia & in Hispania; sed relucta-  
tur Francia, quæ inde a CCC. annis constituit,  
ut legitimi cujusque Episcopi vel beneficiarii

heredes ab intestato succederent, nulla discriminis inter bona patrimonialia & beneficiorum proventus ratione habita <sup>4</sup>.

- 1) *Concil. Salmur.* 1253. 21.
- 2) *Concil. Pictav.* 1280. C. ult. de off. ord. in 6.
- 3) *Concil. Const. Sess.* 39.
- 4) *Hist. Carol. V.* l. 1. c. 11. *Preuves des libertés Gall.* c. 22. n. 8. *Ord. Carol. VI.* *ibid.* n. 8. n. 9.

8. pecu-  
lium.

VI. INTERIM veterum canonum præcepto bona morientis clerici Ecclesiæ adduntur, nisi patrimonium vel liberalitates in ipsum collatæ evidentè probatæ fuerint <sup>1</sup>. Reliquum enim Ecclesiæ donatum, vel ex proventu sacro repositum censetur. Atque hoc ipsum est, quod canones vocant *peculium clericorum*, qui instar erant filiorum familias <sup>2</sup>. De hoc peculio in favorem piarum causarum vel domesticorum olim; post promiscue testari potuerunt: denique agnatis ab intestato delata successio in odium *spolii* <sup>3</sup>, quod summo rigore exactum offecit reparationibus. Heredes beneficiarii capiunt fructus totius anni emortualis, eosque cum successore dividunt. Sed quum mores naturam bonorum ecclesiasticorum non mutant, non video, quomodo vel beneficiarii, vel eorum heredes Deo rationem reddituri sint, si fructus beneficiorum, qui necessarium victum & onera excedunt, piis causis subtrahunt.

- 1) C. 12. q. 3. 4. 5.
- 2) *Conc. Later. III.* 1179. c. 15. THOMASS, p. 4. l. 4. c. 16. 17.
- 3) *Consuet. Paris.* art. 226.


9. laicum  
oblatum  
alunt mo-

VII. MONASTERIIS certa onera sunt peculiaria, ut hospitalitas & eleemosynæ,

quas pro modo facultatum, quum lege nulla teneantur, erogant<sup>1</sup>. Antiquissimum jus rex habet, singulis monasteriis, quæ fundavit, imponendi *laicum religiosum* vel *oblatum*; quales plerumque sunt milites & militum præfecti mutilati: quorum plerique pensionem annuam maluere, quam in convictu monachorum degere<sup>2</sup>. Quum Ludovicus XIV. Parisiis palatium *valetudinariorum* militum exstrueret, huic pensiones omnes *oblatorum*, quæ singulæ 150. libris æstimantur, transcripsit 3. Cui oneri subjectæ sunt omnes abbatia & prioratus, ad quos rex abbates & priores nominare potest, idque exigitur una cum decimis.

nafteria  
in Fran-  
cia.

- 1) GUIM. in Pragm. de annat. §. quod si eccles.
- 2) Conf. ord. l. 1. tit. 7. §. 18. seq. Louet. O. 7. Mem. du Clergé part. 3. tit. 4. c. 3.
- 3) Ord. 24. febr. 1670.



C A P. X X V.  
D E P E N S I O N I B U S.

I.

**B**eneficiorum reditus sæpe *pensionibus* alii solvendis minuuntur; quod pridem fieri cœptum, ejusque rei illustre habetur exemplum concilio Chalcedon<sup>1</sup>. quo Bassiano & Stephano, qui de sede Ephesina contenderant, exclusis assignantur ducenteni solidi aurei quotannis ex episcopatu pendendi, qui sunt 1600. libræ, monetæ Francicæ<sup>2</sup>. Ex quo apparent causæ pensionis assignandæ, scilicet, ut pax conserve- tur, & ut ejectus de Ecclesia habeat, unde se

Pensiones  
veteribus  
haud in-  
cognita,